

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0318

0316

0322

0312

0327

0307

0367

0267


0417

0217

0817

Ende

Anfang



305

sed quia vir prudens erat, cedere magis quam contendere volebat et assignatis aliquibus caussis sui recessus assumptisque paucis servis exercitum dereliquit et in Syriam profectus est. Interea cottidie augebatur exercitus et magna multitudo navium venit Damiatam de occidente. Pelagius ergo congregatis majoribus judicabat, contra Soldanum esse procedendum, qui castra sua posuerat super Nilum, itinere unius diei a Damiatam. Militaris autem magister legato contradicebat, nec tamen poterat, ut se movere vellet absque rege. Unde legatus videns, quod sine praesentia regis negotium procedere non valebat, solennes ad eum misit nuntios, deprecans, ut comparendo exercitui christiano et se filium ecclesiae Romanae demonstraret et rediret ad exercitum, qui tanto cum desiderio affectabat redire. Rex ergo prudens collecto exercitu ex Syria descendit et, ut audivit legati propositum de aggrediendo, bellum omnino dissuadebat dicens, quod si eo tempore populus christianus procederet, nec per terram nec per aquam populo a Damiatam poterit subveniri, maxime cum tempus instaret, quo Nilus fluvius inundaret. Legatus autem moleste nimis ferens ea, quae a domino rege prudenter et consulte dicebantur, excommunicabat omnes generaliter illius negotii turbatores. Videns autem rex animum legati ab eo proposito removeri non posse, licet invitissime faceret, obtulit se pro obedientia ecclesiae ad bellum contra Soldanum procedere. Sed sicut regi visum fuerat, sic accidit et populus christianus seductus in tantum miseriam devenit propter famem et Nili inundantiam et Soldani instantiam, quod coacti fuerunt facere pacem cum Soldano et reddere Damiatam et cum confusione recedere ab Aegypto et redire in Syriam.

Sunt ergo datae treugae octo annis inter Christianos et Sarracenos et nostri derelicta Damiatam recesserunt cum ignominia unusquisque in locum suum. Ecce, quam utile fuisset, si primam compositionem acceptassent, quam rex Jerusalem et omnes Gallici et Theutonici libentissimi fecissent, sed superbia ista maledicta legati regnum Jerosolymitanum perdidit et Damiatam Sarracenis restituit et populum (286 A) dispersit et perdidit. Mirum est, quod iste Pelagius, vel potius perditionis pelagus, non fuit in mille frustra discerptus.

20